



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. V. Præcipuum adversariorum fundamentum convellitur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

gloria Regis Israël. Ergo propositiones illæ conditionales de futuro contingenti, non poterant esse veræ infallibiliter, nisi in vi alicujus decreti divini, talia extrema connectentis, quo Deus statuerat, positis illis conditionibus, ponere illos effectus.

39. Secunda ratio: Futuritio est determinatio in causa, ut disp. precedenti art. 1. ex S. Augustino & D. Thoma ostendimus: Ergo implicat rem aliquam esse sub conditione futuram, nisi causa prima ab æterno determinata sit ad dandam illi existentiam in tempore, si ponatur aliqua conditio: Sed talis determinatio est decretum subje-ctivè absolutum, & objectivè conditionatum, ut de se patet: Ergo decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, necessariò in Deo admittenda sunt.

40. Confirmatur: Ex Augustino Tract. 68. in Joan. *Deus fecit futura, ea prædestinando*: Sed quæ sunt futura solùm conditionatè, non prædestinavit absolutè, saltem ex parte objecti: Ergo ea prædestinavit dependenter ab aliqua conditio-  
ne ex parte objecti se tenente, subindeque per decretum subje-ctivè absolutum, & objectivè conditionatum.

41. Tertia ratio: Nihil potest extrahi à statu meræ possibilitatis, ad statum aliquem futuritionis, independenter à primo ente, & causalitate ipsius: Sed Deus, cum sit agens liberum, non aliter operatur, neque extrahit res ad statum alicujus futuritionis, nisi mediante suo decreto, illi proportionato: Oportet ergo ipsum habere decretum conditionatum, ratione cujus velit futura conditionata à statu meræ possibilitatis extrahe-  
re, illisque dare esse pro tempore futuro, si poneretur aliqua conditio.

42. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Futurum conditionatè habet aliquam actualitatem, quæ non convenit rei merè possibili, dicit enim ordinem ad existentiam, ut habendam dependenter ab aliqua conditione, à quo præscindit res merè possibilis: Oportet ergo in Deo assignare aliquam causam hujus majoris actualitatis, hujusque ordinis ad existentiam sub tali conditione habendam: Sed hæc nulla alia potest esse vel concipi in Deo, quàm decretum absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti, cum Deus sit agens liberum, & omnia operetur juxta consilium voluntatis suæ, ut ait Apostolus: Ergo decreta subje-ctivè absoluta, & objectivè conditionata necessariò in Deo admittenda sunt. Hæ rationes magis patebunt, tum ex solutione objectionum, tum ex dicendis disp. sequenti art. 5. ubi scientiæ mediæ impossibilitatem ostendemus, & varias Recentiorum cavillationes referemus ac refellemus.

## §. V.

*Præcipuum Adversariorum fundamentum convellitur.*

43. Objiciunt in primis Adversarij: Decreta conditionata ex parte objecti, à quibus certa conditionatorum veritas & notitia petatur, nova sunt, nec ullo Scripturæ loco extant, nullumque apud S. Thomam, & alios antiquos Scholasticos, vel SS. Patres, reperitur illorum vestigium. Unde P. Annatus ait, *Ad positionem illorum decretorum meriti se posse mirari, sicut mirantur homines ad conspectum novorum fructuum.*  
Illa etiam videntur otiosa, & ad gubernatio-

In libro  
descentia  
me-  
dia.

nem rerum inutilia. *Quis enim* (inquit idem Author) *has Deo curas imposuit, volo ut si vellem Petrum interesse concioni aut comediæ, conciperet liberè talem voluntatem bonam aut pravam? Quis Deum cogitavit de nunquam existentibus sollicitum, ut pars ejus providentiæ illos hominum actus dirigeret qui nunquam erunt?*

Tertio, Decreta illa videntur ridicula & nugatoria: vana enim & irritoria est promissio, eà conditione quæ à nudo sponsoris arbitrio pendeat, quam nolit apponere: ut si quis dicat, dabo tibi decem aureos, si voluero, si eo die venero, & statuat se vel noliturum, vel non venturum: At qui secundum nos ille est sensus promissionum Dei, sponsor sum tuæ salutis, si te prædestinavero &c. & decernit se non prædestinare: Ergo decreta conditionata, quæ nos in Deo admittimus, absurda videntur & ridicula.

Addunt aliqui, quod sicut ridiculum & imprudens esset hoc decretum: *si chimæra producat, conservabo illam decem annis*; & sicut in humanis stultum esset ita decernere: *Volo tibi dare centum nummos, si per astra volaveris, aut si lingua oculum attingeris*, non alia de causa, nisi quia talia decreta sunt de conditione impossibili. Ita ridiculum & nugatorium videtur, ponere in Deo decretum conditionatum de conversione Tyriorum, sub conditione prædicationis Christi, reddita impossibili per aliud decretum, quo Deus absolutè statuit quod Christus apud Tyrios nunquam prædicaret.

Præquam huic argumento respondeam, placet illud in Adversarios retorquere: illi enim ponunt & fingunt in Deo decretum conditionatum concurrenti cum causis liberis, si illæ velint: quod decretum est planè novum, cum nullum extet in Scriptura, SS. Patribus, vel antiquioribus Theologis illius vestigium, unde ad ejus positionem meriti mirari licet, *Sicut mirantur homines ad conspectum novorum fructuum*, & ab Adversariis inquirere, quæ olympiade, quo anno, quo mense, quâ die, tale decretum primùm apparuerit, & quis ante Molinam, & Sectatores ejus illud in Deo agnovit?

Deinde decretum illud videtur omnino ridiculum & implicatorium, cum pendeat à conditione ab intrinseco & ex natura rei repugnante; & cum illud non possit impleri sine eo quod promittitur; cum concursus Dei non minùs sit necessarius ut homo velit, quàm existentia cause agentis ut operetur, vel lumen oculo ut videat objecta; Deus enim operatur in nobis velle, ut ait Apostolus; vel (ut inquit Augustinus, in soli-  
Deum alloquens) *Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis*. Sicut ergo ridicula esset promissio, quæ Deus alicui diceret, si videris hoc objectum, dabo tibi lucem necessariam ad illud videndum; si hoc egeris, dabo tibi existentiam, vel potentiam ad agendum; sine qua operari non potest. Ita similiter non minùs vana, irritoria, ac nugatoria videtur illa Dei promissio, quæ juxta Adversarios, Deus spondet ac decernit concurrere cum causa libera ad volendum, si illa velit. De quo plura Tractatu sequenti. Hoc præmissio.

E Ad objectionem respondeo, decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, non esse nova, nec à Thomistis excogitata, sed maximum in Scriptura habere fundamentum: nihil enim in Scriptura frequentius illà Dei voluntate, quam vocant antecedentem, de salute om-

Disp. 5.  
art. 3.

43.

nium hominum, aut pactis, vel promissis Dei de rebus sub conditione futuris, nunquam implendis; qualia sunt propè infinita, ut voluntas Dei conferendi posteris Adæ iustitiam originalem, si illorum parens & caput divino præcepto obediret: quale etiam fuit pactum cum Davide initum, servandi perpetuò regnum hereditarium ejus filiis, si patris pietatem imitarentur: qualis etiam fuit voluntas Patris æterni mittendi Filio plures legiones Angelorum; si rogaretur. Deniq; innumera extant Scripturæ testimonia, quæ non possunt interpretari ad sensum litteralem, nisi

§. 2.

de decretis actualibus, ut supra ostendimus. Talia etiam decreta aperte colliguntur ex doctrina D. Augustini & S. Thomæ, aliorumque veterum Theologorum, qui docent futurum esse illud quod est determinatum in causa; Deum facere futura, ea prædestinando; & omnia sive possibilia, sive futura, in seipso ut in prima causa cognoscere: ex his enim tribus principiis, quæ in doctrina S. S. Patrum, præsertim Augustini & Thomæ, pervagatissima sunt, ut præcedentibus disputationibus ostensum est, decreta conditionata, per evidentem consequentiam colliguntur.

46.

Adde quòd, plures ex Doctoribus Societatis, talia decreta admittunt, ut fatetur Alarcon supra citatus; Suarez enim docet illa esse possibilia in Deo, & per consequens nullam in voluntate divina ponere imperfectionem: Arrubal verò illa admittit pro conditionatis disparatis, & purè concomitantibus, docetque sine illis talia futura non esse à Deo certò cognoscibilia, & eorum notitiam illis esse posteriorem. Henricus autem libro de ultimo fine hominis cap. 4. num. 2. eadem decreta conditionata absolute ponit & agnoscit in Deo, ut medium in quo futura conditionata certò possit cognoscere: ait enim: *Necesse est in signo rationis supponere in Deo liberam quandam DEI CONDITIONALEM PRÆDEFINITIONEM, quæ postea novit quid esset facturum in tali rerum concursu & occasione.* Et ibidem subdit: *Rectè concors Theologorum sententia docet, Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem ex providentia perfecta ab æterno, in qua, & per quæ, tanquam per rationem, certò omnia cognoscat.* Et cap. 5. pro hac sententia plusquam viginti Doctores, tam ex antiquis, quam ex modernis citat. Unde certè Patris Annati admiratio, admiratione digna est, mirumque videtur, quòd ille Author fructus domesticos non agnoscat, & ad conspectum illorum miretur, *Sicut homines mirari solent ad conspectum novorum fructuum.*

47.

Ad aliud quod subditur, nempe decreta illa videri otiosa, & ad gubernationem rerum inutilia, dicendum est, quòd sicut licèt voluntas antecedens quam Deus habet de salute omnium hominum, sit conditionata ex parte objecti, ut docet §. 3. D. Thomas supra relatus, & se extendat etiam ad reprobos, quibus Deus absolute decrevit denegare gloriam, & media efficacia ad illam consequendam; illa tamen non censetur otiosa & superflua in Deo, quia per eam Deus omnibus, etiam reprobis, præparat & offert media sufficientia ad salutem: unde idem S. Doctor in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ait: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo in finem salutis, & promotiva in finem, omnibus communiter propozita, tam naturalia, quam gratuita.* Ita decreta conditionata ex parte objecti, otiosa non sunt, nec divinæ providentiæ perfectioni derogant: nam in primis non est imperfectum decretum, quod caret

Tom. I.

A ultimo effectu, dummodo causis inferioribus imprimat inclinationem ad illum producendum; nec defectus est judicij aut decreti practici, carere ultimo effectu, nisi id contingat impotentia aut vitiò facultatis dirigentis, quod longè abest à causa universalissima, quæ cum cæteras omnes ambiat, interdum pugnantes inter se, fieri nequit ut omnes suum effectum sortiantur: Ergo tantum abest, ut providentiæ repugnet velle multa conditionate futura, quin potius ad ipsam pertineat, causas contrarias creare, quæ sibi sint impedimento, ex quibus perfectio universi constat; & hanc Dei ordinationem commendat Ecclesiastes cap. 33. dicens: *Intuere omnia opera Altissimi: duo & duo, & unum contra unum.*

B

Deinde prudentis gubernatoris, & universalis provisoris est, paratum esse ad multa facienda, quæ de facto non vult efficaciter fieri, vel ad ostendam libertatem arbitrij, & defectibilitatem creaturæ, vel propter alia judicia occulta.

Item licèt otiosa videantur decreta ex parte objecti conditionata, si effectum, qui decernitur & promittitur, nec futurus est, spectemus; utilia tamen & necessaria sunt ad alios fines consequendos, qualis est certa veritas futurorum quæ in Scriptura revelantur, & manifestatio inclinationis causarum secundarum; atque eo consilio decernenda fuit Tyrionum conversio, si apud illos edita fuissent miracula, apud Judæos visa, licèt apud ipsos nunquam facienda, ut præ illis agnoscerentur pejores Judæi esse.

C

Non caret ergo temeritate, velle Deum nostro modulo metiri, & decreta conditionata otiosa reputare. *Certum quidem est* (ut rectè ait P. Baronius in libro de libertate humana, & gratia divina) *superfluum fore sollicitudinem nostram, si de regimine Hierarchie Cælestis & Ecclesiastica aliquid statuamus; nam quæ supra nos, nihil ad nos. At quis neget de his omnibus Angelos & Ecclesiæ Pastores posse consulere & statuere, & interdum etiam debere? Multominus possunt ista subdaci à cura Dei ut Oecumenici rerum omnium gubernatoris, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, & locat res sub diversis ordinibus, quorum uno futura sint, secundum propensionem causarum inferiorum; aliis impediuntur, secundum vim superiorum.*

Pagina 197.

D

Ex his patet decreta illa non esse ridicula, & nugatoria, ut tertio loco objiciunt Adversarij, sed honesta, prudentissima, & summâ veneratione digna: tum quia illorum objecta honesta sunt, qualis est v. g. gratia primi hominis communicanda posteris, & perventura ad gloriam, nisi ponat obicem: tum etiam, quia licèt decreta conditionata de conditionibus ex se & ex natura rei repugnantibus (qualia sunt illa quæ ab Adversariis adducuntur, nempe *si chimæra producatur, conservabo illam decem annis. Dabo tibi centum nummos, si per astra volaveris &c.*) stulta videantur & ridicula, non debent tamen imprudentia censeri, quæ pendent ex conditione non repugnante ex se & ex natura rei, sed tantum ex suppositione aliqua accidentali: Deus enim decrevit dare gloriam, illamque promittit hominibus, sub conditione perseverantiæ finalis; licèt absolute decreverit non dare multis donum perseverantiæ, & omnibus reprobis denegare gratiam efficacem, vel congruam, ad finaliter perseverandum, illisque sufficientem dumtaxat offerat: unde cum decretum convertendi Tyrios, si Christus apud illos prædicaret, non dependeat

48.

E

Non dependeat

Nn ij

ex conditione ab intrinseco & ex natura rei repugnante; sed solum ab extrinseco, & ex aliqua suppositione accidentali, non debet cenferi imprudens, & ridiculum, sed prudentissimum, & summâ veneratione dignum; præsertim, quia (ut supra annotavimus) ad universalem provisionem pertinet, velle & decernere plura sub conditione, quæ tamen absolute non vult exequi, ob rationes occultas suæ providentiæ. Quare Adversariorum instantiæ, vires tantum habent ab angusta & demissa cogitatione nostra, quâ Deum ut particulare agens concipimus, more aliorum quæ nobis familiaria sunt, & ægrè possumus asurgere ad universalissimi gubernatoris providentiam, nullo sine cohibitam, ad quam pertinet plures defectus tum physicos tum morales in hoc universo permittere; & non solum diversa, sed etiam contraria ordinare, ut supra ex Ecclesiaste retulimus.

## §. VI.

*Aliæ objectiones solvuntur.*

49. **C**ontra decreta conditionata, supra à nobis *Statuta*, arguit Vazquez in hunc modum. *Disp. 67. cap. 4.* Omne decretum divinæ voluntatis, infert & causat aliquam mutationem physicam, & realem in creatura; quia ex illo resultat in Deo ratio rationis de novo, quæ cum non possit advenire per mutationem Dei, advenire debet per mutationem creaturæ: Sed decreta conditionata quorum conditio nunquam ponetur, nullam possunt inferre, & causare mutationem in creatura, defectu conditionis quæ nunquam purificabitur: Ergo illa sunt impossibilia in Deo.

50. Hoc argumentum apud Vazquem palmarium est, & in hoc certamine veluti Achylleum, eoque putat Thomistis terrorem incutere, & impossibilitatem decretorum conditionatorum in Deo, efficaciter demonstrare. Verum illud potest quidem terrere Novitios & Tyrones, non tamen Magistros & Veteranos: ut enim rectè notavit Suarez libro 2. de scientia conditionatorum, ille *Cap. 7. num. 10.* discursus nihil omnino probat, & non solum non demonstrat, sed nec probabiliter quidem suadet quod intendit. Unde etiam Granada, Arrubal, & alij ejusdem familiæ, illud argumentum tanquam inefficax rejiciunt: nec immeritò, etenim principium assumptum in Majori, voluntarium est, & manifestè falsum, etiam in sententiâ defendentium scientiam mediam: ipsi enim fateantur, quòd Deus decrevit concurrere cum voluntate creatâ ad actus liberos, concursu generali indifferenti, si ipsa videlicet voluerit influere; & tamen hoc decretum, nullam in ea ponit mutationem realem & physicam; cum Deus habeat hoc decretum (in eorum sententiâ) etiam respectu eorum qui nihil operantur, in quibus tamen per illud nulla fit realis mutatio. Quamvis ergo decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, quæ in Deo ponimus, & à quibus certam futurorum conditionatorum veritatem & notitiam volumus derivari, nullam inferant realem & physicam mutationem in creatura, defectu conditionis quæ nunquam purificabitur, inde tamen non licet inferre, ea esse impossibilia. Unde

51. Ad argumentum respondeo primò, non semper requiri in objecto realem & physicam mutationem, ut terminet liberum decretum, sed moralem sufficere; ut constat, si ab æterno Deus de-

cerneret dispensare cum aliquo, in voti obligatione: tunc enim decretum liberum, solum induceret in objecto mutationem moralem. Patet etiam in decreto purè remissivo culpæ, quam remitti posse absque physica peccatoris mutatione, multorum sententiâ est. Idem dicendum est in proposito, nimirum non esse necessarium quòd decreta conditionata, quæ in Deo admittimus, inferant mutationem realem & physicam in creatura, pro aliqua differentia temporis, sed sufficere quòd causent in objecto mutationem extrinsecam & objectivam, illud transferendo à statu puræ possibilitatis, ad statum futuritionis conditionatæ, & ordinando illud ad existentiam sub conditione habendam, à qua omnino abstrahunt, quæ purè possibilia sunt.

52. Respondeo secundo cum Alvarez libro 1. resolutionum cap. 4. num. 10. & de auxilijs disp. 7. num. 32. quòd quando decretum est absolutum, tunc debet inducere in creatura mutationem realem & physicam absolutam; quando autem est conditionatum, non debet inducere mutationem realem absolute, sed solum sub conditione: id est sufficit quòd ex vi illius decreti, realiter mutaretur creatura, si conditio impleteretur. Et hæc mutatio conditionata, est sufficiens, ut divina voluntas aliter comparatur ad creaturas, post illud decretum, quam ante: unde in tali mutatione conditionata fundatur respectus rationis, quem intellectus noster concipit advenire Deo, ratione talis decreti.

## §. VII.

*Aliud Adversariorum argumentum diluitur.*

53. **O**bjiciunt tertio Adversarij: Actui voluntatis existenti in Deo, correspondere debet proprium voluntatis objectum præfens, saltem in esse objectivo: At decreto conditionato, non assignatur præfens voluntatis objectum: Ergo illud non est actu in Deo. Major patet; Minor probatur. Objectum voluntatis est bonum: At objectum sub conditione futurum, non est actu bonum, cum non sit actu existens; Ergo nequit esse actu objectum voluntatis divinæ.

54. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, isto exemplo. Objectum quod actu coloratum non est, sed esset coloratum sub aliqua conditione, terminare nequit actum potentie visivæ existentem de facto; sed solum terminaret illum, si poneretur conditio: Ergo similiter objectum quod actu non est bonum, sed esset sub aliqua conditione, terminare nequit actum voluntatis qui de facto sit, sed solum terminaret illum, si conditio poneretur. Consequentia patet: sicut enim objectum visus est coloratum, ita objectum voluntatis est bonum.

55. Ad objectionem respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Objectum voluntatis est bonum, bonitate præfenti, aut futurâ; sive absolute, sive conditionatè, concedo Majorem. Est bonum bonitate præfenti præcisè, nego Majorem; & concessa Minori, nego Consequentiam: quia bonitas futura sub conditione, est sufficiens ad terminandum actum voluntatis præsentem, ut constat in decreto absoluto, quod de facto existit, quamvis illius objecti bonitas de facto non existat, sed extitura sit. Unde

56. Ad confirmationem, concessa Antecedenti, nego Consequentiam, & paritatem: objectum enim